



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. XXXII. An æternitati conueniat aliqua successio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

quam fictam per intellectum, sunt tamen negationes reales, & in ratione negationis nullum ordinem ad intellectum habent.

Hæc autem negatio, quatenus negatio, est aliquid entis rationis, & aduerbio, *Semper*, affirmatiue videtur significari, tamen melius negatione illa exprimitur. Dicitur enim *semper esse*, hoc est, sub quocumque spatio durationis, quod etiam cogitari potest: sed negatio illa mensura, ut dixi, apprimè exprimit formale illud æternitatis: quia ratione tempus, & æternitas opponuntur: nam sicut tempus non est solum duratio motus primi mobilis, sed etiam, ut ostendimus disp. 33. c. 2. duratio numerata, & definita per intellectum ut ipsa possit aliarum durationum esse mensura: sic contra æternitas est duratio, omni prorsus mensura carens.

Iob. 24.

Quare Iob. 24. inquit, *Ab omnipotente non sunt abscondita tempora*, hoc est, rerum aliarum durationes, quas tempora appellauit, quod tempore omnes numerentur, siue spirituales sint, siue corporales, ut disputatione illa dicitur. Subiungit, *Qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius*, quasi dicat, qui veram Dei scientiam, & noticiam habent, sciunt diebus, aut annis eius æuam definiti non posse: quare dies illius ignorant, quia re vera definiti non sunt. Ex ijs, quæ diximus, non est argumentum pro aliqua opinione ex commemoratis, quod non possit facile refelli: ideo singulorum solutionibus super sedere mihi visum est.

DISPUTATIO XXXII.

An æternitati conueniat aliqua successio.

Certa apud omnes de hac re doctrina, cap. 1.

Oppositiones contra prædictam sententiam, cap. 2.

CAPVT I.

Certa apud omnes de hac re doctrina.

Boetius.

S. Thom.

Anselmus.

Dionysius.

Proper.

Augustin.

Isidor.

Ansel.

Nazian.

Beda.

Plato.

Nulla de hac re inter Doctores dissensio est: nam perfectam æternitatem, de qua hætenus locuti sumus, existimant omnes totam simul, & sine aliqua successione esse. Quocirca Boetius in definitione illius non solum dixit, esse quandam vitæ possessionem interminabilem, sed perfectam & totam simul, hoc est, sine successione aliqua: aut, sicut explicauit S. Thom. vniformem absque vlla varietate. Quam definitionem eiusdem fere verbis tradidit Anselmus in Monologio c. 24. & est communis doctrina Patrum. Sic docuit Dionysius c. 10. de diuinis nominibus circa finem, Prosper in lib. Sententiarum Augustini, senten. 3. & 183. idem August. lib. 83. questionum q. 19. his verbis: *Non omne immortale sanctum subtiliter æternum dicitur: quia etiam si semper aliquid uiuat, tamen si mutabilitatem patitur, non proprie æternum appellatur: & sermone 8. de verbis Domini ante medium, hoc inquit differre æternitatem à tempore, quod in tempore varietas in æternitate stabilitas est: in æternitate omnia stant; in tempore alia accedunt, alia succedunt.*

Hoc ipsum ex Augustino desumpserunt Isidorus lib. 7. Etymolog. c. 1. & Anselmus in prologo cap. 18. 19. & testantur Nazianzenus & Beda locis statim citandis: ex Philosophis vero diserte tradidit Plato in Timæo non longe à principio: de Deo enim inquit, *Idcirco imaginem aut mobilem effingere decreuit, ac dum celum exornaret, fecit æternitatis in unitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus.*

CAP. I. & II.

Iuxta horum doctrinam, quæ scholasticis probatissima est, ut aliquid simpliciter, & proprie æternum dicatur, non satis est, si te ipsa principio, & sine careat: hoc enim licet æternum diceretur, vel potius ab æterno esse, eius tamen æternitas participata solum esset, & instar illius, quæ prima & vera est: cum enim in ea aliqua esset varietas, principio & fine ex parte definiri posset, ut si celum, vel Angelus esset ab æterno, quamuis non in eorum substantia, in motu tamen, & operatione principium, & finis esset, ac proinde in motu celi possemus, & annos, & menses, & dies designare, in Angelis vero has, & illas operationes principio, & fine terminatas, quas tempore possemus definire. At in Deo, quod veram, & primam æternitatem habeat, nec ex parte substantiæ, nec operationis principium, aut finis aliquo modo assignari potest. Quod si ipse Deus (quæ sua est omnipotentia) crearet aliquam ab æterno substantiam absque vlla prorsus variatione etiam secundum accidentia, & operationes in eodem statu permanentem, quæ videretur habere veram & propriam æternitatem, eius nihilominus æternitas esset participata, neque enim res illa eiusque duratio statum illum immutabilitatis ex se haberet, cū suæ relictæ naturæ variationi, & mutationi necessario subiecta esset.

Ex eadem doctrina Richardus de Sancto Victore lib. 2. de Trinitate cap. 4. asserit, aliud esse sempiternum, aliud æternum. Sempiternum namque esse videtur (inquit ille) quod caret initio, & fine, æternum vero, quod caret utroque, & omni mutabilitate. Subiungit vero, *Et quamuis forsitan neutrum sine altero inuenitur, recte tamen inter nominum significationem distinguitur.* Cum dicit Forsitan, vnum sine alio inueniri, non dubitat, an detur nunc re ipsa aliquod sempiternum, quod careat principio, & fine, & vere non sit æternum, sicut Deus neque n. dubitaret, nihil esse creatum ab æterno, sed dixit Forsitan, quia non satis constat, an fieri possit creatura ab æterno, in qua sempiternū sine æterno reperiatur.

CAPVT II.

Oppositiones contra prædictam sententiam.

Contra doctrinam hætenus traditam aliqua possunt opponi, quæ difficilia videntur. Primum est, de Deo iuxta omnem temporis differentiam vere prædicat Scriptura *Fuit, est, & erit*, Psalm. 109. *Ante luciferum genui te*, Proverb. 8. *Ante omnes colles ego parturiebar*, Apoc. 1. 11. & 14. *Qui est, & qui erat, & qui venturus est*, ad Hebr. 13. *Iesus Christus heri, & hodie, ipse, & in secula*. Est igitur in Dei æternitate aliqua successio: alioqui nec verba futuri, nec præteriti temporis ei posset accommodari. Huius difficultatis mentionem fecit Plato in Timæo, respondet autem his verbis, *At qui erat, & erit, quis naturæ tempora species sunt, non recte æternæ substantiæ assignamus.* Dicimus n. de illa est, erat, & erit: sed reuera solum esse competit. Eadem fere verba habent Nazianzenus oratione 42. quæ est 2. in Pascha, & Eusebius lib. 11. de preparat. Euang. c. 7. post medium: ubi asserunt, rectius de Deo dici, est, quam fuit velerit, Hoc ipsum docuit Aug. de vera, & falsa religione c. 49. & in illud Psal. 101. *In generatione, & generationem* lib. 84. questionum q. 19. Afferunt vero Nazian. & August. illud Exod. 3. *Qui est, misit me ad vos*, ubi verbo præteritis temporis perseverantiam Dei, & stabilitatem perfectam in suo esse dicunt significari. Textus autem Hebraicus vitæ verbo futuri temporis, *Ero*, ut de-

notet

notet æternam Dei durationem sine fine, vt infra disp. 59. ostendemus.

Secundo re-
spondetur.

5
Eternitatem
ad modum
internali
sunt nos
intelligimus.

8.
Iam. 16.

Cæterum quamuis hoc ita sit, si rem ipsam, & æternitatem Dei in se spectemus: quia tamen communis phrasis, & modus loquendi hominum nostro etiam modo intelligendi accommodari debet, non abs re tria illa verba diuersi temporis Deo tribuimus, vt id, quod de Deo cogitamus, commodius significemus. Dei namq; æternitatem admodum interualli cuiusdam fluentis pro modulo nostro concipimus, vt præcedenti c. ex Nazianzeno notauimus. Quare eam comparantes cum nostro tempore, in partem præteritam, præsentem, & futuram cogitatione nostra diuidimus: atque hac de causa voces præteriti, præsentis, & futuri non inæptè Deo accommodamus, vt recte notauit Beda in illud Ioan. 6. *Adhuc habeo multa uobis dicere.* &c. his uerbis, *Quamuis natura illa immutabilis non recipiat fecit, & erit, sed tantum est, tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, fuit, & est, & erit.* Dicit autem propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, non alia de causa, quam quia in istis temporibus, in quo versamur, æternitatem concipimus.

Id ipsum non obscure dixerat Nazianzenus orat. 33. quæ est tertia de Theologia, non longe à principio, ubi respondens interrogantibus, quando Filius genitus est, inquit, *Tunc quando Pater genitus non est.* Affirmatque huic interrogationi commodè responderi non posse, quia generatio Dei est supra quando, hoc est, supra tempus. Subdit deinde, *Etiamsi id, quod supra tempus est, declarare cupientes temporalem speciem, ac significationem sugere nequamus. Etenim hæc voces, quando, autem hac, post hac, à principio, temporis expertes nequaquam sunt, quamquam vim illis inferamus.* Sic ergo ostendit, non posse responderi interrogantibus, quando Filius genitus est; quia voces omnes tempus significauit, ac proinde exprimere non valent id, quod in Deo est. Tandem quasi corrigens id quod dixerat subiungit: *Nisi forte eum accipiamus, hoc est, interuallum illud, quod simul cum rebus æternis extenditur, neque vilo motu desinitur: ac si dicat, nisi respondeamus Filium in æuo genitum fuisse, sic enim forsan sine ulla nota temporis responderi posset. Addit uero, Forasan, quia etiam eo modo loquendi à conceptu aliquo durationis, & temporis non omnino liberamur, quando illud in istis temporibus fluentis intelligimus, vt cap. præcedenti dictum est.*

Notandum
propterea
quia scri-
pta.

7

Iuxta hunc modum familiarem loquendi recte Scriptura simul coniungit tria tempora; omniaque simul Deo tribuit, vt continuam in esse perseverantiam denotet. Vt ut autem præterito imperfecto, *Erant*, quod significat rem nondum finitam: non autem præterito perfecto, quod finitam denotat, vt exprimat æternitatis perseverantiam, & ideo dicit, *Qui est, & qui erat*, non *Qui est*, & *qui fuit*, quamuis si Scriptura diceret, *Qui fuit*, adiungens duo alia tempora, suspicionem omnemq; sufficienter auferret. Verbo autem *Genuit*, utitur in præterito perfecto non imperfecto *Gignebat*, vt perfectam, & integram generationem filij explicet: multo enim magis expediebat integritatem, & perfectionem generationis, quam perseverantiam exprimere. Illud uero ad Hebr. 13. *Iesus Christus heri, & hodie*, intelligant multi Patres de ipso secundum humanitatem: sed illud ipse & in sa-
Vasquez in 1. part. Tomus 1.

cula, de eodem secundum diuinitatem, vt videbimus 3. p. q. 16. a. 9. Quod si de ipso secundum Deitatem totum illud intelligatur, iuxta ea, quæ diximus explicandum est.

Duo super sunt circa solutionem huius argumenti breuiter notanda. Primum est: eos, qui clare intuentur essentiam Dei, & quæ in ipso sunt, cum videant ipsum, & quæ in eo sunt, sicut re ipsa se habent, modum & durationem proprii esse ipsius æque sibi inuicem exprimere posse. Alterum est, cum de Deo aliquam operationem eternam enunciamus, vt iustificationem, creationem, apparitionem &c. optime, & propriissime uti uerbis præteriti, & cuiusuis temporis: hæc namque uere habent successionem & principio, & sine terminata, tempore nostro definiti possunt. Quæ uero hæcenus diximus, de operationibus Dei internis intelligenda sunt.

Secundum Argumentum, in eodem momento durationis indiuiduo duo contradictoria uere simul esse nequeunt: at in æternitate duo contradictoria sunt uera, vt *Petrus ægrotat, Petrus non ægrotat*: omnia enim tempora æternitas complectitur ac proinde esse, & non esse rerum simul contineri: ergo oportet ut in ea successione, & varia instantia assignemus, ne in eodem omnino indiuiduo duo illa contradictoria uere esse dicamus. Aliqui recentiores non putant absurdum, in eodem indiuiduo momento altioris ordinis, quale est æternitatis, duo contradictoria simul concedere: atque eo pacto censent, argumento proposito optime satisfieri: sed responsio friuola est: nam instans altioris ordinis non absorbet & euacuat contradictionem, sed propositiones in eo sub statu contradictionis manent, quo pacto igitur simul uere esse possunt? si enim in vno genere durationis, & instantis uere esse nequeunt, in nullo poterunt, cum in quocumque maneat eiuldem rationis, & oppositio.

8
An in æter-
nitate duo
contradictoria
possint
verificari.

Recentiores
sententia.

Impugnatur.

Quare responderetur, illas propositiones, quas diximus, & id genus alias, non esse contradictorias in æterna Dei cognitione, aut in æternitate, etiamsi in ea secundum esse rei præsentis essent, quoties referuntur ad diuersa instantia, aut durationes temporis: solum ergo contradictoriae sunt quando non solum in æternitate sunt præsentis, sed etiam copula ipsarum pro eodem momento temporis rem enunciat. Sic autem nunquam utraque est uera in æternitate. Tunc uero intelligimus propositiones ad durationem nostri temporis referri, quoties absolute cum nullo additamento enunciantur: ut cum dicimus, *Petrus ægrotat, Petrus non ægrotat*, quæ nunquam sub eadem temporis duratione sunt ueræ: nam cum uerba à nobis sint imposita ad significandum, sub ea duratione res denotant, quæ actiones, & passionis nostræ desiniuntur, sic uerbum, *Ægrotat*, significat ægritudinem sub tempore præteriti, aliud sub futuro, &c. sub eodem igitur utraque uera esse nequit. Ut autem rem enunciemus ad æternitatem relata, opus est exprimere illius durationem, quam absolute, & ex se uerba non significant: cum eo autem additamento, seruatisque alijs conditionibus erunt contradictoriae, non tamen simul ueræ: Verbi causa, *Ægritudo Petri est in æternitate, ægritudo Petri non est in æternitate*, quarum altera est falsa: si tamen quis ita diceret: *Petrus ægrotat in æternitate, Petrus non ægrotat in æternitate* esset etiam contradictio: & facta hypothesis, quod aliquando in tempore ægrotaret, hæc

P

hæc

hæc esset falsa; *Petrus non agrotat in æternitate*: est enim sensus, ægrotatio Petri nullo modo est præsens æternitati: neque vero reddit hunc sensum, *Non agrotare Petri, est præsens in æternitate*, sed *agrotare Petri non est præsens æternitati*, qui sensus falsus est. Hæc autem non essent contradictoria: *Ægrotare Petri, est in æternitate, non agrotare est in æternitate*. Vtraque enim esset affirmans, quia altera solum habet negationem ex parte subiecti, non neganter, sed infinitanter, ut logici loquuntur: ac proinde vtraque vera esse potest.

Tertio obicitur.

Tertium denique argumentum est huiusmodi. Duratio æternitatis maior est hodie, quam heri, verbi causa, si Angelus creatus fuisset ab æterno, & deinde annihilatus initio mundi, minus durasset, quam si annihilaretur modo: ergo æternitas habet successionem præteriti, & futuri: alioqui nec maior, nec minor esse posset, cum accessio non fiat, nisi præterito.

Respondeo primo, hanc non esse veram, & propriam æternitatem, de qua nunc loquimur. Vera namque æternitas non potest habere terminum: sed si angelus ab æterno crearetur, eius æternitas esset participata. Verum quia de illa, sicut de ævo, ita iudicandum est, ut nulla in eis possit esse successio, oportet adhuc alio modo argumento satisfacere.

Solutio.

Dico igitur secundo, sicut de tempore, quod fuisset ab æterno, disp. 26. c. 2. dictum est: licet durationi, quæ est ab æterno, siue habeat successionem, sicut tempus, siue non, sicut æternitas etiam participata, possit aliquid addi; non ideo esse maiorem, aut minorem: nam maius, & minus proportionales sunt finitæ quantitatis, & durationis.

II

Addo tertio, si ex parte infinitatis non repugnet, nihil aliud obesset, quo minus inter æternitates participatas una esset maior alia: ex hoc tamē non fit, ut in ævo, aut in æternitate sit aliqua successio: neque enim ideo diceretur vnum ævum maius alio aut una æternitas participata maior alia, quia vni fieret accessio futuri: sed quia vnum ævum, aut vna æternitas in se ipsa talis naturæ esset, & perseverantia, ut nata esset maiori spatio nostri temporis definiti, vel saltem, quia nostra cogitatio maiori intervallo fluente vnum ævum, aut vnam æternitatem metiri posset, quam aliam. Quocirca dicere possumus ævum, & æternitatem hæcenus durasse: adverbium tamen, *hæcenus*, nullam successionem in ævo, aut in æternitate denotaret.

Plato.

Ideo optime Plato in Timæo, loco citato de vera æternitate, quæ Deo convenit inquit, *Æterna autem substantia cum eadem semper, & immobilis perseveret, neque senior seipsa sit unquam, neque iunior, neque fuit hæcenus, neque erit in posterum*. Quibus verbis docere voluit, in æternitate secundum se nullam esse successionem. Cum vero in Scriptura Deus dicitur antiquus dierum, & quod senex Prophetis apparuerit, dictum est, ad significandam antiquam Dei æternitatem, non autem mutationem iuventutis in senectam.

ARTICVLVS II.

Utrum Deus sit æternus.

46.
2. dist. 2. q. 1.
art. 1. ca. 10.
p. 9. 3. n. 17.
23. & opus.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Deus non sit æternus. Nihil enim factum potest dici de Deo: sed æternitas est aliquid factum.

Dicit enim Boet. quod nunc fluens facit tempus: nunc stans facit æternitatem: & August. dicit in lib. 38. questionum, quod Deus est auctor æternitatis: ergo Deus non est æternus.

3. c. 5. & 6. 7. & 8.
lib. 5. de consola. pro sa vit.
23. & 23.

2. Præterea, Quod est ante æternitatem, & post æternitatem non mensuratur æternitate. Sed Deus est ante æternitatem (ut dicitur in lib. de Causis) & post æternitatem dicitur enim Exod. 3. quod Dominus regnabit in æternum & ultra, ergo esse æternum non convenit Deo.

Propos. 2. inter opera Art. 10. 3.

3. Præterea, Æternitas mensura quædam est: sed Deo non convenit esse mensuratum: ergo non competit ei esse æternum.

4. Præterea, in æternitate non est præsens, præteritum vel futurum, cum sit totum simul, ut dictum est. Sed de Deo dicuntur in Scripturis verba præsentis temporis, præteriti, vel futuri: ergo Deus non est æternus.

Art. præ.

Sed contra est quod dicit Athanasius, *In suo Symbolo de consensione iudici*.

Respondeo dicendum, quod ratio æternitatis consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum, ut ex dictis patet. Vnde cum Deus sit maxime immutabilis, sibi maxime competit esse æternum. Nec solum est æternus, sed sua æternitas: cum tamen nulla alia res sit sua duratio, quia non est suum esse. Deus autem est suum esse uniforme. Vnde sicut est sua essentia, ita est sua æternitas.

In suo Symbolo de consensione iudici.

Art. præ.

Ad primum ergo dicendum, quod nunc stans dicitur facere æternitatem secundum nostram apprehensionem. Sicut enim causatur in nobis apprehensio temporis, eo quod apprehendimus fluxum ipsius nunc, ita causatur in nobis apprehensio æternitatis in quantum apprehendimus nunc stans. Quod autem dicit Augustinus, quod Deus est auctor æternitatis, intelligitur de æternitate participata. Eo enim modo communicat Deus suam æternitatem aliquibus, quo & suam immutabilitatem.

Loco citato in argum.

Et per hoc patet solutio ad secundum. Nam Deus dicitur esse ante æternitatem, prout participatur a substantiis immaterialibus. Vnde, & ibidem dicitur, quod intelligentia parificatur æternitati. Quod autem dicitur in Exod. *Dominus regnabit in æternum, & ultra*: sciendum quod æternum accipitur ibi pro sæculo: sicut habet alia translatio. Sic igitur dicitur quod regnabit ultra æternum: quia durat ultra quodcumque seculum, id est, ultra quancumque durationem datam. Nihil est

Eadem pro p. 1. 2. c. 1. ca. 10. 3.

est enim aliud sæculum, quam periodus
cuiuslibet rei, vt dicitur in libro primi
de Cælo. Vel dicitur etiam vltra æter-
num regnare: quia si etiam aliquid aliud
semper esset (vt motus cæli, secundum
quosdam Philosophos) tamen Deus vltra
regnaret: in quantum eius regnum est totum
simul.

Ad tertium dicendum, quod æternitas non est aliud quam ipse Deus. Vnde non dicitur Deus æternus: quasi sit aliquo modo mensuratus: sed accipitur ibi ratio mensuræ secundum apprehensionem nostram tantum.

Ad quartum dicendum, quod verba di-
uerſorum temporum attribuntur Deo,
inquantum eius æternitas omnia tempo-
ra includit: non quod ipſe varietur per
præſens, præteritum, & futurum.

Conclusio est affirmans, & de fide, habetur autem passim in scriptura in symbolo Athanasij, & in c. Firmuter, de summa Trinitate, & fide Catholica. Quomodo autem Deus dicatur sua æternitas, & ab ea distinguatur, quæstionem communem habet cum ceteris attributis, de qua differendum est disp. 1. 6. & sequentibus.

ARTICVLVS III.

Vtrum esse æternum sit proprium Dei.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod esse æternum non sit soli Deo proprium. Dicitur enim Dan. 12. quod qui ad iustitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stella in perpetuas æternitates. Non autem essent plures æternitates si solus Deus esset æternus: non igitur solus Deus est æternus.

2. Præterea. Math. 25. dicitur; *Ite male-*
dicti in ignem æternum. Non igitur solus
Deus est æternus.

3. Præterea. Omne necessarium est æternum: sed multa sunt necessaria: sicut omnia principia demonstrationis & omnes propositiones demonstratiuæ, ergo non solus Deus est æternus.

Sed contra est, quod dicit August. lib.
de fide ad Petrum c. 6. Deus est qui exor-
dium non habet: quicquid autem exor-
dium habet, non est æternum: solus ergo
Deus est æternus.

Respondendo dicendum, quod æternitas vere & proprie in solo Deo est: quia æternitas immutabilitatem consequitur: ut ex dictis patet. Solus autem Deus est omnino immutabilis, ut est superius ostensum. Secundum tamen quod aliqua ab ipso immutabilitatem percipiunt, secundum hoc aliqua eius æternitatem participant. Quædam ergo quantum ad hoc immutabilitatem fortiuntur à Deo, quod nunquam esse desinunt: & secundum hoc di-

Vasquez in 1. part. Tomus I.

ciunt Eccl. i. de terra, quod in æternum
stat: & sic æternitas Angelis attribui po-
test, secundum illud Psalm. 75. *Illuminans
tu mirabiliter a montibus æternis.* Quædam
etiam æternæ in scripturis dicuntur pro-
pter diuturnitatem durationis: sicut corru-
ptibilia sint, sicut in Psalm. dicuntur montes
æterni. & Deuter. 33. etiam dicitur, de
pomis collium æternorum. Quædam au-
tem amplius participant de ratione æterni-
tatis, in quantum habent intransmuta-
bilitatem, vel secundum esse, vel vltius
secundum operationem, sicut Angeli &
beati qui verbo fruuntur: quia quantum
ad illam visionem verbi non sunt in san-
ctis volubiles cogitationes, vt dicit Aug.
15. de Trinit. Vnde & videntes Deum di-
cuntur habere vitam æternam, secundum
illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cogno-
scant, &c.*

Ad primum ergo dicendum, quod dicuntur multæ æternitates secundum quod sunt multi participantes æternitatem ex ipsa Dei contemplatione.

Ad secundum dicendum, quod ignis
infernus dicitur æternus propter intermi-
nabilem tantum. Est tamen in poenis
eorum transmutatio, secundum illud Iob.
24. *Ad nimum calorem transibunt ab aquis
nimum.* Unde in inferno non est vera æter-
nitas, sed magis tempus, secundum illud
Psalm. *Erit tempus eorum in secula.*

Ad tertium dicendum, quod necessarium significat quendam modum veritatis. Verum autem secundum Philosophum 6. Meta. est in intellectu. Secundum hoc igitur vera, & necessaria sunt aeterna, quia sunt in intellectu eterno, quod est intellectus diuinus solus. Vnde non sequitur, quod aliquid extra Deum sit eternum.

Notationes circa doctrinam articuli.

Conclusio est, Perfecta aeternitas, qualis superius descripta est, nulli alteri, quam deo convenit. De materia huius articuli nulla est inter Doctores controversia. Ad maiorem tamen illius perspicuitatem duo nobis observanda sunt. Vnum est, aeternitatem dupliciter capi posse. Primum communiter pro quavis duratione, quæ principio, & fine caret; & ita creaturis etiam potest convenire, si non repugnet, aliquam creaturam ab æterno creari.

Deinde aternitas magis proprie dicitur duratio fine principio, & fine, cum stabilitate eius, cuius est duratio: & hæc in solum Deum conuenire potest, si dicamus stabilitatem esse non solum negationem alicuius mutationis, sed talem dispositionem naturæ, vt aliquo modo variari nequeat. Hæc enim dicitur suapte natura aternitas, inæternitas per essentiam: cætera vero, quæ fine principio & fine essent, aliquod æternitatis veltigium participare dicerentur, vt S. Thomas recte notauit.

Alterum est circa solutionem tertij, videlicet,

*Essentia rerū
cur æterna
dicantur.*

qua ratione essentia rerum æterna dicantur: in qua re Metaphysici multo plura, quam opus esset consumunt, quæ omnia nos breuiter perstringemus. Dicuntur igitur æternæ, non quod sint extra Deum actione aliqua ab æterno productæ, sic enim etiam ab æterno existerent, quod est absurdum: neque ideo, quod in Deo sint formaliter; nulla enim ratio essentia create Deo formaliter conuenit: neque solum, quod in Deo sint eminenter, sicut in causa efficiaci, aut sicut in intelligente: vtenim ostendimus disp. 104. prius ratio- ne est, essentia rerum in se esse possibiles, quam Dei virtute produci posse, aut à Deo cognosci. Non enim ex eo, quod possit produci, aut ex eo quod cognoscantur possibiles sunt: sed contra, ex eo, quod in se non implicent contradictionem, intel- liguntur à Deo, & produci possunt, vt disputa- tione illa ostendimus. Dicuntur igitur essentia rerum æternæ, quod sint æternæ veritatis, hoc est, quia de illis ab æterna aliquid enunciari possit, Verbum enim *est*, in enunciationibus, cum ali- quid de essentia rerum enunciat, non significat actualem existentiam, sed conuenientiam extre- miorum: ideoque essentia dicantur æternæ verita- tis; vt disp. 78. explicabimus.

14

ARTICVLVS IV.

Vtrum æternitas differat à tempore.

48
*Infra art. 5.
q. 2. art. 1. &
2 d. 2. q. 1. a. 1.
Et quot. 1. q.
4. & qual.
10. q. 2. & po.
9. 3. a. 14. 18.*

AD quartum sic proceditur. Vide- tur, quod æternitas non sit aliud à tempore. Impossibile est enim duas esse mensuras durationis simul, nisi vna sit pars alterius. Non enim sunt simul duo dies vel duæ horæ: sed dies & hora sunt simul, quia hora est pars diei, sed æter- nitas, & tempus sunt simul: quorum v- trumque mensuram quandam duratio- nis importat. Cum igitur æternitas non sit pars temporis: quia æternitas excedit tempus, & includit ipsum, videtur, quod tempus sit pars æternitatis, & non aliud ab æternitate.

4. Physico
text. 12. 1. &
104. som. 2.

2. Præterea, Secundum Philosophum in 4. Physic. Nunc temporis manet idem in toto tempore. Sed hoc videtur consti- tuere rationem æternitatis: quod sit idem indiuisibiliter se habens in toto discursu temporis: ergo æternitas est nunc tempo- ris: sed nunc temporis non est aliud secun- dum substantiam à tempore: ergo æterni- tas non est aliud secundum substantiam à tempore.

Lib. 4. Physic.
text. 1. 3. 10. 2.

3. Præterea, sicut mensura primi mo- tus est mensura omnium motuum, vt dicitur in 4. Physicor. ita videtur quod mensura primi esse sit mensura omnis esse. Sed æternitas est mensura primi esse, quod est esse diuinum: ergo æternitas est mensura omnis esse, sed esse rerum cor- ruptibilium mensuratur tempore. Ergo tempus vel est æternitas, vel aliquid æter- nitatis.

Sed contra est, quod æternitas est to- ta simul. In tempore autem est prius & po-

sterius, ergo tempus, & æternitas non sunt idem.

Respondeo dicendum, quod manife- stum est: tempus, & æternitatem non esse idem. Sed huius diuersitatis rationem quidam assignauerunt ex hoc, quod æter- nitas caret principio, & fine, tempus au- tem habet principium, & finem. Sed hæc est differentia per accidens, & non per se: quia dato quod tempus semper fuerit, & semper futurum sit secundum positio- nem eorum, qui motum celi ponunt sem- piternum, adhuc remanebit differentia inter æternitatem & tempus, vt dicit Boe- tius in libro de consolatione, ex hoc quod æternitas est tota simul, quod tempori non conuenit: quia æternitas est mensura esse permanentis, tempus vero est mensu- ra motus.

Prosa. 6. Lib.
5. de consol.

Si tamen prædicta differentia attenda- tur quantum ad mensurata, & non quan- tum ad mensuras, sic habet aliam ratio- nem: quia solum illud mensuratur tempo- re, quod habet principium & finem in tempore, vt dicitur in 4. Physicorum.

4. Physicor.
1. 10. som. 2.

Vnde si motus celi semper duraret, tempus non mensuraret ipsum secundum suam totam durationem, cum infinitum non sit mensurabile, sed mensuraret quam- libet circulationem, quæ habet princi- pium & finem in tempore. Potest tamen & aliam rationem habere ex parte ista- rum mensurarum, si accipiat finis & principium in potentia: quia etiam dato, quod tempus semper dureret, tamen possi- bile est signare in tempore & principium & finem accipiendo aliquas partes ipsius, sicut dicimus principium & finem diei vel anni, quod non contingit in æternitate. Sed tamen ista differentia consequuntur eam, quæ est per se, & primo, differentiam per hoc quod æternitas est tota simul, non autem tempus.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procederet, si tempus & æternitas essent mensura vnius generis: quod patet esse falsum ex his, quorum est tempus & æternitas mensura.

Ad secundum dicendum, quod nunc temporis est idem subiecto in toto tempo- re: sed differens ratione: eo quod sicut tempus responderet motui, ita nunc tem- poris responderet mobili: mobile autem est idem subiecto in toto decursu tem- poris, sed differens ratione, inquan- tum est hic, & ibi: & ista alternatio est motus. Similiter fluxus ipsius nunc, se- cundum quod alternatur ratione, est tempus. Æternitas autem manet eadem & subiecto & ratione. Vnde æterni- tas

tas non est idem quod nunc temporis.

Ad tertium dicendum, quod sicut eternitas est propria mensura ipsius esse, ita tempus est propria mensura motus. Vnde secundum quod aliquod esse recedit à permanentia essendi, & subditur transmutationi: secundum hoc recedit ab eternitate, & subditur tempori. Esse ergo rerum corruptibilium, quia est transmutabile, non mensuratur eternitate, sed tempore, tempus enim mensurat non solum quæ transmutantur in actum, sed quæ sunt transmutabilia. Vnde non solum mensurat motum, sed etiam quietem: quæ est eius quod natum est moveri & non moveri.

Notatio circa articulum.

Conclusio est affirmans. De materia vero huius articuli, & duorum sequentium inferius futura est disputatio. Nunc autem satis est animadvertere, titulum articuli, qui communiter circumferitur, falso inscriptum esse hoc modo, *utrum eternitas differat ab ævo, & tempore*: cum reuera B. Thomas in hoc articulo solum disputet de differentia eternitatis, & temporis. Titulus autem, ut à nobis præscriptus est, colligitur ex verbis eiusdem S. Thomæ initio articuli, ubi titulum articuli præmisit.

ARTICVLVS V.

Utrum æuum differat à tempore.

49
Isti supra
art. 4. notati.
8. super
Gen. c. 20.
22. 23. 24. 25.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod æuum non sit aliud à tempore. Dicit enim August. 8. super Genes. ad lit. quod Deus mouet creaturam spiritua-lem per tempus, sed æuum dicitur esse mensura spiritualium substantiarum. Ergo tempus non differt ab ævo.

2. Præterea, De ratione temporis est, quod habeat prius, & posterius, de ratione vero eternitatis est, quod sit tota simul, ut dictum est: sed æuum non est eternitas. Dicitur enim Ecclesiast. 1. quod sapientia æterna est ante æuum. Ergo non est totum simul, sed habet prius, & posterius, & ita est tempus.

3. Præterea, Si æuo non est prius, & posterius: sequitur quod in æternis non differat esse, vel fuisse, vel futurum esse. Cum igitur sit impossibile æterna non fuisse: sequitur, quod impossibile sit ea non futura esse: quod falsum est, cum Deus possit ea reducere in nihilum.

4. Præterea, cum duratio æternorum sit infinita ex parte post, si æuum sit totum simul, sequitur quod aliquod creatum sit infinitum in actu: quod est impossibile. Nō igitur æui differt à tempore.

Sed contra est quod dicit Boet. Qui tempus ab ævo ire iubet.

Respondetur dicendum, quod æuum
Vasquez in 1. par. Tomus I.

differt à tempore, & ab eternitate, sicut medium existens inter illa. Sed horum differentiam aliqui sic assignant dicentes, quod eternitas principio, & fine caret: æuum habet principium, sed non finem: tempus autem habet principium, & finem.

Sed hæc differentia est per accidens: sicut supra dictum est: quia etiam si semper æterna fuissent, & semper futura essent, ut aliqui ponunt: vel etiam si quandoque deficerent, quod Deo possibile esset, adhuc æuum distingueretur ab eternitate, & tempore. Alij vero assignant differentiam inter hæc tria per hoc, quod eternitas non habet prius, & posterius, tempus autem habet prius, & posterius cum innouatione, & veteratione: æuum habet prius, & posterius sine innouatione, & veteratione.

Sed hæc positio implicat contradictoria. Quod quidem manifeste apparet, si innouatio, & veteratio referantur ad ipsam mensuram. Cum enim prius, & posterius, durationis non possit esse simul, si æuum habet prius, & posterius, oportet quod, prior parte æui recedente, posterior de nouo adueniat: & sic erit innouatio in ipso ævo, sicut in tempore. Si vero referatur ad mensurata: adhuc sequitur inconueniens.

Ex hoc enim res temporalis inueteratur tempore, quod habet esse transmutabile, & ex transmutabilitate mensurari, est prius, & posterius in mensura, ut patet ex 4. Physic. Si igitur ipsum æuernum non sit inueterabile, nec innouabile, hoc erit quia esse eius est intransmutabile.

Mensura ergo eius non habebit prius, & posterius. Est ergo dicendum, quod cum eternitas sit mensura esse permanentis, secundum quod aliquid recedit à permanentia essendi, secundum hoc recedit ab eternitate. Quædam autem sic recedunt à permanentia essendi, quod esse eorum est subiectum transmutationis vel in transmutatione consistit: & huiusmodi mensurantur tempore: sicut omnis motus, & etiam esse omnium corruptibilium.

Quædam vero recedunt minus à permanentia essendi, quia esse eorum nec in transmutatione consistit, nec est subiectum transmutationis: tamen habent transmutationem, adiunctam, vel in actu, vel in potentia: sicut patet in corporibus celestibus, quorum esse substantiale est intransmutabile: tamen esse intransmutabile habent cum transmutabilitate.

P 3

secun-

Art. præced.

4. Physic.
textu 110.
tom. 2.

lit. q. de
angl. me. 10
qm. 111.

secundum locum; & similiter patet de Angelis, quod habent esse intransmutabile cum transmutabilitate secundum electionem; quantum ad eorum naturam pertinet; & cum transmutabilitate intelligentiarum & affectionum & locorum suo modo.

Et ideo huiusmodi mensurantur ævo: quod est medium inter æternitatem & tempus. Esse autem, quod mensurat æternitas, nec est mutabile, nec mutabilitati adiunctum. Sic ergo tempus habet prius & posterius: ævum autem non habet in se prius & posterius, sed ei coniungi possunt: æternitas autem non habet prius neque posterius, neque ea comparitur.

Ad primum ergo dicendum, quod creature spirituales quantum ad affectiones & intelligentias in quibus est successio, mensurantur tempore. Vnde & August. ibidem dicit, quod per tempus moveri, est per affectiones moveri. Quantum vero ad eorum esse naturale, mensurantur ævo. Sed quantum ad visionem gloriæ participant æternitatem.

Ad secundum dicendum, quod ævum est totum simul, non tamen est æternitas: quia comparitur secum prius & posterius.

Ad tertium dicendum, quod in ipso esse Angeli in se considerato non est differentia præteriti & futuri, sed solum secundum adiunctas mutationes. Sed quod dicimus Angelum esse, vel fuisse, vel futurum esse, differt secundum acceptionem intellectus nostri, qui accipit esse Angeli per comparationem ad diversas partes temporis. Et cum dicit Angelum esse, vel fuisse, supponit aliquid, cum quo eius oppositum non subditur divinæ potentie. Cum vero dicit futurum esse, nondum supponit aliquid. Vnde cum esse, & non esse Angeli subit divinæ potentie; absolute considerando potest Deus facere, quod esse Angeli non sit futurum: tamen non potest facere quod non sit dum est, vel quod non fuerit, postquam fuit.

Ad quartum, dicendum quod duratio ævi est infinita: quia non finitur tempore. Sic autem esse aliquid creatum infinitum quod non finiatur quodam alio, non est inconueniens.

Conclusio articuli est. *Ævum differt ab æternitate & tempore.*

ARTICVLVS VI.

Verum sit vnum ævum tantum.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod non sit tantum vnum ævum. Dicitur enim in apocryphis Esdræ, Maiestas & potestas ævorum est apud te Domine.

2. Præterea. Diuersorum generum diuersæ sunt mensuræ: Sed quædam æterna sunt in genere corporalium, scilicet corpora celestia: quædam vero sunt spirituales substantiæ, scilicet Angeli: Non ergo est vnum ævum tantum.

3. Præterea. Cum ævum sit nomen durationis, quorum est vnum ævum, est vna duratio: Sed non omnium æternorum est vna duratio: quia quædam post alia esse incipiunt, ut maxime patet in animabus humanis. Non est ergo vnum ævum tantum.

4. Præterea. Ea quæ non dependent ab inuicem, non videntur habere vnam mensuram durationis. Propter hoc enim omnium temporalium videtur esse vnum tempus: quia omnium motuum quodammodo causa est primus motus qui prius tempore mensuratur. Sed æterna non dependent ab inuicem: quia vnus Angelus non est causa alterius. Non ergo est vnum ævum tantum.

Sed contra: ævum est simplicius tempore, & propinquius se habens ad æternitatem. Sed tempus est vnum tantum: Ergo multo magis ævum.

Respondetur dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod est vnum ævum tantum, quidam quod multa. Quid autem horum verius sit, oportet considerare ex causa unitatis temporis. In cognitionem enim spiritualium per corporalia devenimus. Dicunt autem quidam esse vnum tempus omnium temporalium propter hoc, quod est vnus numerus omnium numeratorum: cum tempus sit numerus secundum Philosophum. Sed hoc non sufficit: quia tempus non est numerus, ut abstractus extra numeratum, sed ut in numerato existens, alioquin non esset continuus: quia id. vlna panni continuitatem habent non ex numero, sed ex numerato. Numerus autem in numerato existens non est idem omnium, sed diuersus diuersorum. Vnde alij assignant causam unitatis temporis ex unitate æternitatis, quæ est principium omnis durationis. Et sic omnes durationes sunt vnum, si consideretur eorum principium: sunt vero multe, si consideretur diuersitas eorum, quæ recipiunt durationem ex influxu primi principij. Alij vero assignant causam unitatis temporis ex parte materie primæ, quæ est primum subiectum motus, cuius mensura est tempus. Sed neutra assignatio sufficiens videtur, quia ea, quæ sunt vnum principio, vel subiecto, & maxime remoto, non sunt vnum simpliciter, sed secundum quid. Est ergo ratio

Lib. 8. super
Gen. 20.
20m. 3.

Lib. 4. Phys.
ca. 10. 101.
tem. 2.

50
2. d. 2. q. 1. art.
2. Et 5. q. 1.
9. 4.

10. Metaph.
10. 4. 10. 3.

ratio unitatis temporis, vnitas primi motus secundum quem, cum sit simplicissimus, omnes alij mensurantur, vt dicitur in 10. Metaph. Sic ergo tempus ad illum motum comparatur, non solum, vt mensura ad mensuratum, sed etiam, vt accedens ad subiectum: & sic ab eo recipit unitatem. Ad alios autem motus comparatur solum, vt mensura ad mensuratum.

Libr. 1. per
archon. c. 8.
10. 4.

Cap. 10. & 4.
a. medi.

Vnde secundum eorum multitudinem non multiplicatur: quia vna mensura separata multa mensurari possunt. Hoc igitur habito, sciendum, quod de substantijs spiritualibus duplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod omnes processerunt a Deo in quadam aequalitate, vt Origen. dixit: vel etiam multa earum, vt quidam posuerunt. Alij vero dixerunt, quod omnes substantiae spirituales processerunt a Deo quodam gradu, & ordine. Et hoc videtur sentire Dionysius, qui dicit cap. 10. cæ. Hierar. quod inter substantias spirituales sunt primæ, mediæ, & vltimæ, etiam in vno ordine Angelorum. Secundum igitur primam opinionem necesse est dicere, quod sunt plura æua, secundum quod sunt plura æuiterna prima æqualia.

Libr. 1. Me.
10. 4. 10. 3.
c. 4. 10. 3.

25. 4. 10. 4.

Secundum autem secundam opinionem oportet dicere, quod sit vnum æuum tantum: quia cum vnum quodque mensuratur simplicissimo sui generis (vt dicitur in 10. Metaph.) oportet quod esse omnium æuiternorum mensuretur esse primi æuiterni: quod tanto est simplicius, quanto prius. Et quia secunda opinio verior est (vt infra ostendetur): concedimus ad presens vnum esse æuum tantum.

Ad primum ergo dicendum, quod æuum aliquando accipitur pro seculo: quod est periodus durationis alicuius rei: & sic dicuntur multa æua, sicut multa secula.

Ad secundum dicendum, quod licet corpora celestia & spiritualia differant in genere naturæ, tamen conueniunt in hoc, quod habent esse intransmutabile. Et sic mensurantur æuo.

Ad tertium dicendum, quod nec omnia temporalia simul incipiunt, & tamen omnium est vnum tempus propter primum, quod mensuratur tempore. Et sic omnia æuiterna habent vnum æuum propter primum: etiam si non omnia simul incipiant.

Ad quartum dicendum, quod ad hoc quod aliqua mensurentur per aliquod vnum, non requiritur quod illud vnum sit causa omnium eorum, sed quod sit simplicius.

Conclusio articuli est: *Vnum tantum est æuum, quod est omnium mensura, sicut est vnum tempus.*

DISPVT. XXXIII.

Vtrum æuum sit totum simul, an aliquam in se habeat successionem.

Varia autem acceptiones. cap. 1.

Quid sentiat Bonauentura cap. 2.

In æuo nullam esse successionem, communis opinio fert. cap. 3.

Diluitur argumenta prioris sententia. cap. 4.

CAPVT I.

Varia autem acceptiones.

Altequam questionem propositam examinamus, varias nominis æui significationes annotare placuit: vt id, de quo suscipitur disputatio, manifestum fiat. Est autem latinis æuum idem, quod Græcis *αἰών*; imo vox latina ex Græca videtur deriuata, interiecta tantum litera, u, idem vero est æuum latine, quod seculum quare quod Græci dicunt *αἰών* & *αἰών* latine reddimus, *Secula seculorum*. Proprie tamen *αἰών*, idem est, quod æternitas, dicitur enim Græce *αἰών*, quasi *το αἰών*, hoc est, semper existens; vt notauit Nicetas loco inferius allegando. Nihilominus tamen seculum, seu *αἰών* varias habet significationes. Primo significat ætatem cuiusvis hominis, quæ cum septuaginta annis compleri solet, iuxta illud Psalm. 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*: spatium quoque aut seculum septuaginta annorum significat: sicut notatur Hier. in cap. 26. *Ezech. sub finem*, & Dam. li. 1. *de fide c. 1.* & Nicetas in orat. 2. *Nazianz. in illa verba. Iam vero cum imminestas*. Secundo significat tempus mille annorum, vt tradunt Damascenus, & Nicetas locis citatis. Tertio significat totam nostri temporis congeriem, ac propterea antiquissima, appellare consueuimus æterna, vt docuit Dionysius. 10. c. de diuinis nominibus. Idcirco Deuter. 34. & Pla. 75. *colles aut montes vocantur æterni*, quod antiquissimi sint: & ad Titum 1. tempora dicuntur æterna *In spem*, inquit, *vite æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus ante tempora secularia*, legit enim Aug. lib. 83. *quæst. 9. 7. 2. & 12. de ciuit. c. 16. Tempora æterna*, Nam Græce dicitur *αἰών* & *αἰών* cumque *αἰών* significet seculum æuum & æternitatem, Aug. transtulit, æterna quod *αἰών* vulgatus dixit *secularia*, & li. 16. de Ciuit. c. 27. *asserit, idem esse nostris æternum*, quod Græcis est *αἰών*, neque ausos fuisse latinos transferre *secularia*, quia seculare interdum significat, quod cito transit, & *αἰών* vero, aut quod non habet finem, aut quod vsque in finem huius seculi tenditur, vbi Augustinus etiam concedit *αἰών*, seu æuum, aut æternum totam nostri temporis congeriem nonnunquam denotare. Per tempora autem æterna intelligunt ipse Augustinus loco allegato, Hieronymus, & Anselmus in eum locum ad Titum 1. tempora quædam æterna ante mundi creationem: quæ, vt idem notat Augustinus, non fuerant Deo coætæna.

Ego vero non satis intelligo, quænam æterna tempora, præter ipsam Dei æternitatem, ante mundi creationem præcesserint. Quod si aliquod

P 4

tempus

Quid apud
Græcos æuum
significet.

Nicetas.

Psalm. 89.

Hieron.
Damascen.
Nicetas.

Dionysius.
Deu. 34.
Pla. 75.
Ad Titum.

Augustinus.
Explicatur
1. cor. Pauli.

2

3